

# Briefe aus Gallien – Lektion 14

## **T. Aurelius Scātcrus D. Aureliō Scāuro sālūtem dicit**

Ō victōriam māgnām et prāeclārām! Tandem oppidum Ārvernōrum cāptum est!

Cum Gāiō meō tribūnus militum obsidiōni interfui; cum Gāiō meō pūgnāvi et vici. Nōnne Gāium hominem mālum et ignāvum putāre desinis? Eum āere ālienō oppressum esse dicebās, quidam etiam eum in Galliā bellum gerere dicebānt, nē Rōmae in vinculā coniceretur.- Sed prōcōnsulem virum vērē Rōmānum esse scitō. Prūdentiam virtūtemque eius iterum iterumque videbām! In Galliā Caesār ā nostris valdē amātur.

Bellum Alesiāe vāldē difficile erāt. Alesia in monte sita ā nōbis capī nōn potuerat. Itaque Gaius oppidum obsidī iusserat. Māgnis labōribus mūnitiōnēs factae turrēsque exstrūctae sunt. Tamen Arvernī et aliī Gallī cum Vercingetorīge dūce saepe ex oppidō veniēbānt, cum nostrīs pūgnābant, sed semper repellēbantur. Dēnique fame sitīque victī sunt, Vercingetorīx ipse nōbis dēditus est. Gāius autem mīlitēs suōs laudāvit - etiām egō laudātus et quibusdam honōribus affectus sum. Beātus sum! Rōmānī beātī sunt!

Sī valēs, bene est, egō quidem valeō.

## **Aus dem Brief eines Legionssoldaten**

Nunc tandem in hibernis sumus, nunc tandem quōdam modō liberi ā labōribus. At quam diū nōbis reguiescere licet?

Quamquam oppidum Arvernōrum captum erat, quamquam Vercingetorix, dux eōrum, victus erat, quamquam quidam de militibus nostris vulneribus paene confecti erant, Caesar bellum finire neque voluit neque vult.

Itaque nōn in patriam rediimus, sed in hibernis manere debemus. Gāius Iūlius Caesar, qui nunc ā quibusdam in caelum tollitur, quasi deus quidam, quid tandem fecit?

Nōnne nōs, milites gregārii, labōribus fessi, sarcinis onerāti, per montes campōsque pedibus ibāmus?

Nōnne nōs saepe famem sitimque ferebāmus? Nōnne verum est ā nōbis, nōn ā Caesare, mūnitiōnes factās turresque exstrūctās esse?

Nōnne verum est proelia ā Caesare quidem iussa ā nōbis commissa esse, nōs cum hostibus cominus pūgnāvisse?

Etsi incolumes e proelūs exhibāmus, tamen semper mortem ante oculōs habebamus et habemus.

O, quot commilitōnes vulnerārique caedique videbam, quot amicōs amittebam!

Heri etiam T. Aurelius Scaurus tribūnus militum, dum ā prōcōnsule iussus cum paucis loca vicina explōrat, subitō ā hostibus oppressus et interfectus est.

O, iste Caesar, qui nōs bellum gerere cōgit, quantō mihi est odiō!